



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius**

**Ginther, Anton**

**Augustæ Vindelicorum, 1733**

**VD18 12431648**

Consideratio XXXVI. Crux Dominica per prodigiosam virgam Moysaicam  
sæpius præfigurata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)



CONSIDERATIO XXXVI.

CruX Dominica per prodigiosam virgam  
Mosaicam præfigurata.

*Eleva virgam tuam, & extende manum tuam super mare, & divide illud. Exod. 14. 16.*

I.

**M**ira ac stupenda quondam DEUS per virgam Mosaicam paravit miracula. Per hanc Nilum in sanguinem convertit: *Et elevans virgam, percussit aquam fluminis coram Pharaone & servis ejus, qua versa est in sanguinem. Exod. 7. 20.*

Per hanc Amalec in Raphidim feliciter oppugnavit: *Venit autem Amalec, & pugnabat contra Israël in Raphidim, dixitque Moyses ad Josue: Elige viros, & egressus pugna contra Amalec; cras ego stabo in vertice collis, habens virgam Dei in manu mea, ad cujus elevationem hostis fugatus & cæsus est. Exod. 17. 8.*

Per hanc in summa aquarum penuria in deserto ex petra durissima vivum ac largissimum aquarum fontem sitiienti populo produxit: *Percussit petram, & fluxerunt aquæ. Psal. 77. 20.*

Per eandem virgam superbiam Pharaonis fregit, mare rubrum divisit, populum Israëliticum sicco pede ad portum traduxit, & cum Ægyptii cum universo equitatu & curribus Pharaonis post eos ingrederentur, illos ad unum usque per extensam hanc prodigiosam virgam in profundo maris submersit: *Eleva virgam tuam, & extende manum tuam super mare, & divide illud, ut gradiantur filii Israël in medio mari per siccum &c. Exod. 14. 16.* Ecce stupendam hujus Mosaicæ virgæ virtutem, ad cujus conspectum mare contremisit & fugit, viamque electo Dei populo in Palæstinam aperit, cui pro lemmate inscribimus: *In virtute tua.*

Vide hic, & considera, prudens Lector! elegantissimam Dominicæ crucis figuram; ita S. Augustinus: *Sine crucis, inquit, sacramentum fecit Moyses signum. Moyses per hanc prodigiosam virgam suam populum per mare Rubrum feliciter traduxit in Palæstinam, Christus Dux*

*Si Aug. ser. 90 de Temp.*



Dux ac legifer noster per virgam SS. Crucis suæ, cum qua per mare rubrum passionis suæ nobis præivit, viam aperuit ad terram illam desiderabilem, perpetuo melle & lacte manantem.

2. Et hoc est, ad quod in spiritu quondam alludit Vates Regius, dum crucem Dominicam virgæ virtutis ex Sion emissæ comparavit:

*Psal. 109. 2. Virgam virtutis tua emittet Dominus ex Sion: Dominare in medio inimicorum tuorum.* Sicut enim Reges orbisque Monarchæ potentiam suam ac majestatem in auratis gemmatisque virgis ostentant; Sic pretiosissimus orbis Servator Christus quàm maximè potentiam suam ac majestatem in virga crucis orbi manifestavit, hæc enim teste S. Chrysofomo,

S. Chrysof. *virga virtutis est, sceptrum regia potestatis, quæ sustentantur fideles; affliguntur*  
*cit. à le Blanc. increduli, terrentur ingrati; Et iterum in alio loco: Non aberraveris, sicru-*  
*in Pl. 109. 2. cem Domini voces virgam virtutis, hæc enim virga mare & terram convertit, &*  
*magna potestate complevit; Cum hac virga Apostoli egressi per universum orbem*  
*omnia persecere &c. Vides ex his, quantò magis prodigiosa sit virga S.*  
*Crucis, quàm virga Moysis, de qua Poëta Christianus:*

*Crux nunc Mosaica superat miracula virgæ:*

*Pandit virga salum: Crux veneranda polum.*

3. Hæc illa prodigiosa virga est, quæ omnia venenata vitiorum monstra, dracones & serpentes, virgæque magorum in Ægypto devoravit, extirpavitque, atque inferni tyrannum orco perpetuò alligavit: *Projeceruntque singuli virgas suas, quæ versa sunt in dracones, sed devoravit virga Aaron virgas eorum.* Audi & antiquissimum Origenem ita de hac

Origen. hic  
 apud Cornel. *mystica virga scribentem: Virga Moysis, ait, est crux Christi, hæc postquam ad credulitatem & fidem hominum venit, conversa est in sapientiam, & tantam sapientiam, quæ omnem Ægyptiorum, id est hujus mundi sapientiam devoraret.*

Hæc illa virga est, quam Angelus in manu tenuit, qui apparens Gedeoni carnes oblatas & panes azymos accendit: *Extenditque Angelus Domini summitatem virgæ, quam tenebat in manu, & tetigit carnes & panes azymos: ascenditque ignis de petra, & carnes, azymosque panes consumpsit.* Per virgam hanc le Blanc & alii S. Crucem subaudiunt: *Crux, ait, est virga virtutis in anima charitatem succendens &c.*

Le Blanc in  
 Psal. 109. 2.

4. Hæc illa virga pretiosa est, quam potentissimus Persarum Rex Assuerus in signum regis benevolentis in illos extendit, quos singulari honore & gratiâ voluit condecorare: *Sive vir, sive mulier, non vocatus interius Regis atrium intraverit, absque ulla concitatione statim interficietur, nisi forte Rex auream virgam ad eum tetenderit pro signo clementis, atque ita possit vivere.*

*Esther 4. 11.*

Hæc



Hæc denique illa virga est, quam præscripsit Christus Apostolis, ut eam secum gestarent, cum ad Evangelium prædicandum ad gentes excurrerent: *Præcepit eis, ne quidquam tollerent in via, nisi virgam tantum,* Marc. 6. 8. hoc est crucis typum & memoriam, quam intrepidè prædicarunt, & innumera per illius virtutem patrarunt miracula. Cedat ergo nunc virga Moysis prodigiosæ virgæ sacratissimæ crucis, quæ orbem subjugavit universum, infernum spoliavit, Satanam devicit, & cælum innumeris Sanctis replevit: *Virgam virtutis suæ emittet Dominus ex Sion.* Et Psal. 109. 2. sequitur: *Dominare in medio inimicorum tuorum.* Tunc dominatus est Dominus in medio inimicorum suorum, quando pependit in ligno pro homine indigno, & quidem in medio dæmonum, latronum, Judæorum, Gentilium, Scribarum, Phariseorum, militum Romanorum, & aliorum sibi insultantium, titulum regium super caput suum spinis coronatum præferens: *Jesus Nazarenus Rex Judæorum.* Jo. 19. 19.

5. Per hanc SS. Crucis virgam Serenissima ac Potentissima Domus Austriaca etiam in maximis periculis ac turbulentissimis temporibus semper optatum auxilium, oportunitumque invenit remedium. Anno Domini M. CC. LXXIII. die XII. Octobris Francofordii post multam disceptationem tandem unanimi Electorum consensu in Imperatorem electus est Rudolphus Comes ab Habsburg, vir & sapientia & pietate ac magnimitate animi nulli secundus, qui cum Aquisgrani coronaretur, solitumque juramentum à Principibus in proposito vacillantibus exigeret, virgam crucis, in qua argentea crucifixi imago fixa erat, loco sceptri imperialis, arripuit: *Ecce, inquit, signum, in quo salvatus est mundus: hoc loco sceptri utemur,* ad quod insperatum factum Electores ac Principes Imperii commoti, crucem humili osculo venerati sunt, ac lubenti animo novo Imperatori fidelitatis juramentum supra eandem crucis virgam præstiterunt ac deposuerunt.

Idem Rudolphus, cum gubernacula imperii nunc feliciter fuisset auspiciatus, ut cultum & amorem SS. Crucis magis, magisque in subditorum implantaret animis, ad honorem ejusdem salutiferæ crucis insigne canobium Tultia in Austria excitavit; Et cum contra Otocarum Regem Bohemiæ cruentum gereret bellum, simulacrum SS. Crucifixi in pugna sibi per Abbatem Habsburgensem præferri voluit, cujus auxilio protectus hostem feliciter superavit, & insignem ab eo victoriam reportavit; unde cognomento appellatus est *Victoriosus.* Tanti profuit Rudolpho à cruce cœpisse regimen.

6. Carolus Quintus auream crucis virgam & in ea Salvatoris nostri effigiem assiduò secum portavit, cujus ope toties contra hostes suos victoriæ palmam obtinuit, quoties cum illis in acie conflixit. Lyræus 1. 5. Sandæus c. 8. lib. 39. tit. 14.

*Ginther Unus pro omnibus.*

S

Hunc



Hunc crucifixum Dominum suum in expeditione Africana summum totius exercitûs sui capitaneum denominavit; cum enim belli Principes ac præsertim Hispani anxie expectarent, quisnam ab Imperatore ac Rege suo omnium copiarum Generalissimus esset designandus, Carolus V. Crucifixum suum è sinu protulit: *Hic*, aiebat, *erit dux ac supremus Capitaneus noster, cujus ego sum signifer.* Quæ visa Crucifixi imago omnium Procerum & æmulorum sedavit animos, & ad bellum strenuè animavit.

Idem Carolus V. gloriosissimæ memoriæ Imperator in bello Germanico, quod contra Saxonem ad Albim fluvium gessit, cum copias suas obequitaret, in via publica Crucifixi imaginem vidit plumbeis glandibus à Protestantibus deformatam, ac recentibus vulneribus trajectam. Stetit ad hoc Imperator, & ingemuit, vocemque ac oculos in cælum levans, ex intimo animi sui coram cæteris belli ducibus ex-

Franc. Haræus  
in Annal. ad  
annum 1556.

clamavit: *Domine, si vis, injuriam hanc ulcisci potes: Ecce autem me vindicem tuum paratum. Si Divina Majestati tua placet, juva conatus meos.* Sic coacto & incitato exercitu generosè in hostem ruit, cujus conjuratas vires uno prælio confregit, contudit, Ducemque vulneribus faucium in potestatem redegit; quam insignem victoriam cum cæteris Christo JESU & huic crucifixo adscripsit, in hunc finem Laredii in conspectu suorum Ducum, aulicorum & militum publicè in genua se demisit, ubi auream hanc suam Crucifixi Redemptoris effigiem pro more suo è sinu eduxit, eamque submisso osculo veneratus, hæc verbis affatus est: *Te duce toties, Christe JESU, cum hoste feliciter congressus sum, triumphos ac honores reportavi, quidquid inde decoris ac laudis est, tibi, qui tribuisti, submissem refero, utque anima mea brevi ex hoc corpore migratura felicem exitum dones, submissem rogo.* Quam exinde SS. Crucifixi imaginem (in cujus dulci amplexu & SS. Vulnerum osculo anno 1558. die 21. Septembris piissimè obiit) filio suo Philippo II. velut singularem ac præclarissimam hæreditatem cum flagello sanguine suo sæpius imbuto, in cistula eburnea reliquit. Et nunquid hic Philippus II. Hispaniarum Monarcha, cum post patris obitum hanc cistulam referavit, jure merito cum Vate Regio dicere poterat: *Etenim hæreditas mea præclara est mihi?* Et quid talis pater tanto filio melius legare poterat, quam Christum JESUM & hunc crucifixum?

Mancin. lib.  
8. dissert. 2.

Psal. 15. 6.

7. A Carolo V. ad Carolum VI. transeo; Proh quales viros! ubi Quintus desinit, Sextus incipit, sed non ab alio, quam à signo Sanctæ Crucis, cujus insignem particulam de collo ad cor appensam gestare solet, eâ sese religiosè sæpius ac præsertim in rebus periculosis & gravis momenti signans. Cum anno 1716. & 1717. Solimanni Turcarum



rum Imperatoris exercitus Ungariam penè inundasset, Carolus VI. pro more suo ad crucifixum Amorem suum confugit, quem invictissimo Eugenio Archistratego suo, & Sabaudia Duci contra Barbaros nunc ituro in adiutorem assignavit, prædicens illi victoriam: *In hoc signo vinces.* Bis conflixit cum hoste Eugenus, bis vicit in hoc signo, expugnato hinc Temesvario, inde Belgrado. O viros immortales! Ecce in hoc signo crucis gloria & victoria, salus

& vita: *Eleva virgam &c.*



## CONSIDERATIO XXXVII.

### Meditatio de Christo Crucifixo animæ Christianæ summè proficua.

*Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus adversum semetipsum contradictionem. Hebr. 12. 3.*

I.

**I**saac Patriarcharum decus & typus Christi sæpiùs in campum solebat se conferre, ut ibidem solus & ab aliis negotiis sæcularibus abstractus, res cœlestes ac divinas meditaretur: *Et egressus fuerat ad Gen. 24. 63. meditandum in agro, inclinato jam die,* in quo, ait Alcuinus, Isaac fuit typus Christi, qui vespere & noctu oraturus secessit in montem, sicut pariter fuit typus Redemptoris nostri crucem bajulantis, dum ligna holocausti ad montem Moria asportavit.

Ex quo colliges, prudens Lector, quòd Sapientis vita sit meditatio, præsertim sit opus redemptionis nostræ, Christum passum, ac crucifixum sæpiùs per devotam meditationem ad mentem reduxerit: *Nihil, inquit S. Augustinus, tam salutiferum nobis est, quàm quotidie cogitare, quanta pro nobis pertulit DEUS homo.* S. Aug. serm. 62 ad Frat. in Eremo.

2. Jacob filius Isaac ovibus suis virgas populeas, & amygdalinas ex parte decorticatas in canalibus, ubi effundebatur aqua, proposuit, ex quarum intuitu & contemplatione oves similes producebant fœtus. Gen. 30. 37. Per has semicorticatas virgas doctissimus Quaresmius Christum in cruce pendentem, electam illam virgam de radice Jesse nudatam, decorticatam,

S 2

ticatam,